



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**DE VERO ET FALSO DEI || CVLTV SEV DE VERA ET FAL=||SA
RELIGIONE.||**

**Sohn, Georg
Accronius, Gellius**

Marpurgi

urn:nbn:de:hbz:466:1-36634




Th. 956.

J

351





DE VERO ET FALSO DEI
CVLTV SEV DE VERA ET FAL-
SA RELIGIONE.

THESES THEOLOGICÆ

De quibus, adiuuante Diuina gratia,

P R A E S I D E

REVERENDO ET CLARISSIMO
VIRO, DN. GEORGIO SOHN SACROSAN-
ctæ Theologiæ Doctore & in celebri Cattorum Aca-
demia Hebræarum literarum Professore
ordinario, publicè re-
spondebit

Gellius Accronius Frisius.



MARPURGI

Per Augustinum Colbium,

ANNO SALUTIS HU-

M A N A E,

MD. ID. LXXX.

*Honesto et spectato probitate
viro Andrea N. Sospiti suo
p. saro sas theses ad auctor.*

C 10

DE VERO ET FALSO DEI
SUIVITUR VERA ET FALSA
CAUSATIONE

THESES THEOLOGICAE

DE VERO ET FALSO DEI

PRÆFATIO

REVERENDO ET CLARISSIMO
P. D. DR. BRONNIO S. THEOLOG. FACULT.
P. D. DR. BRONNIO S. THEOLOG. FACULT.
S. THEOLOG. FACULT. P. D. DR. BRONNIO
ORDINARIO P. D. DR. BRONNIO
ORDINARIO

Gottlob Accorinus Filius



MARBURGI

Dr. Augustinum Colmanum

ANNO SALUTIS MDCCLXXXIII

M. DCC. LXXXIII

Faint handwritten notes or signatures, possibly in Latin, located below the printed text.



NOBILITATE

ET LIBERALI INGENIO MORUMQUE PROBITATE ORNATISSIMIS

Adolescentibus Sixto à Kammingha libero & hereditario Domino Amlandie, ac iuniori Sixto à Kammingha patruelibus, Dominis & amicis suis colendis Gellius Accronius S. D.



AXIOMA EST THEOLOGICVM Sacre scripturæ libris proditum ac saepe repetitum, Deum secundum uoluntatem suam & præscriptum duntaxat, non secundum hominum arbitrium colendum esse, nec cultum ei ullum placere ac gratum esse hominum arbitrio & intentione institutum, ut Deut. 12: Non facietis singuli quod uobis rectum uidetur: quicquid ego præcipio uobis id obseruabitis ut sciatis. Deut. 4: Non addes quicquam super ipsum, nec minues ab eo. Esaiæ ultimo: Quæ nolui elegerunt, unde & ego illusiones eorum eligam, & quæ timent adducam eis. Math. 15: Frustrâ me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Item ad Coloss. 2. cap: Et alibi. Atq; hoc etiam Ethnici sola naturæ luce quodammodo intellexerunt, quemadmodum ex Augustino liquet, qui in libro de consensu Euangelistarum primo, cap. 8. disputans: Quare Romani nunquam receperint Deum Hebræorum & eius cultum, cum tamen omnium ferme Gentium deos receperint colendos: respondet nulla id alia factum causam quam quod, si Hebræorum Deum eiusq; cultum amplexi essent, alios Deos sibi colendos non esse cernerent, sciebant enim unumquemq; Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum præceperit: Quum autem eos non lateret quod Hebræorum Deus se solum soli mandauerat, aliosq; Deos coli prohibuerat,

A ij hibuerat,

hibuerat, respuerunt unius ueri Dei cultum, ne multos falsos offenderent: magis arbitantes sibi obfuturam fuisse istorum iram, quam illius bene uolentiam profuturam.

Et tota sacrarum historiarum series testatur nunquam bene cessisse liceri arbitrij uoluntate & bonam, ut uocant, intentionem. Populus israeliticus bono, ut sibi uidebatur, consilio & intentione ad Aharonis consensum aureos uirtuos ad diuinum cultum erexerat, Exod: 32. sed uoluit Dominus uniuersum cœtum delere propter bonæ intentionis opus, nisi Moyses intercessisset. Male quoque cessit filijs Aaronis, quod ignem alienum proprio consilio & intentione adoleuerunt, Leuit. 10. Gideon, quod Ephod Domino consecrauit, iud. 8. Sauli, quod armentum non mala quidem intentione sed contra Dei uerbum, in uictimam Domini seruauit, uictis Amalechitis, 1. Sam. 15. Nec Deo placuit, quem Micha ipsi sua intentione & uoluntate cultum instituit, iud. 17.

Quapropter ab omnibus istis, qui carnem suam, id est, proprium sensum, iudicium, liberum arbitrium, & intentionem in cultu diuino sequi malunt, quam uerbum Dei, recedendum ac diligenter cauendum est, sicut etiam Christus & Apostoli monent. Matth. 7: Cauete uobis à pseudopropheta. Math. 24: Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, ad hic, ne credite. 1. ad Cor. 10: Fugite idola. 2. Cor. 6: Que communiō luci cum tenebris? que concordia Christo cum Belial? Exite e medio eorum & separamini. 1. Ioan. 5: Filioli, cauate uobis à simulachris, &c.

Ex quo sequitur, ut recte faciant ij, qui se ab Antichristo Pontifice Romano, & eius affeclis in doctrina professione & cultu Dei se iungunt & separant, & ab hominum traditionibus sese ad solius Dei uerbum conuertunt, ac ueris cultoribus sese aggregantes Deum secundum uoluntatis ipsius præscriptum duntaxat colunt. Quid enim aliud est religio papistica quam superstitio, seu cultus Dei ab hominibus bona quidem, ut creditibile est, intentione, sed sine uerbo imò contra uerbum Dei, & non sine eius atque mendici tunica, multis uetustis & sordidis traditionibus tanquam pannis, consutus? Quid aliud quam idololatria & hypocrisis? ac nescio an ulla etate apud ullam nationem tam crassa & horribilis idolomania in usu unquam fuerit, atque apud Papistas. Turcæ in ea sunt sententia, ne ullæ prorsus imagines fiant, unde in suis monetis tantummodo literas habent, ac eas arabicas: Et in tapetibus, nodos quosdam intextere

conferat

consueuerunt. At Papistæ non solum non uerentur Deum, qui Spiritus est, qui immensus est, qui incircumscribitilis, ineffabilis, ubiq; totus præsens, coelum & terram implens, æternus, uiuus & uiuificans atque conseruans omnia, sensibili aut uisibili imagine exprinere: Verum etiam sanctorum imagines & statuas ad cultum in templis & uijs exponunt. Arnobius libro sexto contra Gentes, refert, Nationes dixisse, minime se colere lapides, sed præsentiam Dei ad illas imagines exhibitam. sed Papistas non pudet, bolium panis adorare & pro Deo colere, & tantum ac talens honorem imaginibus impendere, quantum rei representatæ, sicut ex libris ipsorum manifeste ostendi potest.

Quarè laudabilis est uoluntas & gratum Deo studium uestrum Nobilissimi adolescentes, quòd posthabita Papistarum horribili idololatria & hypocrisis, ad uerum Dei cultum Sacre scripturæ libris à Deo ipso præscriptum ac mandatum uos assuefacitis. Laudabilis item uoluntas & studium, Sixte minor, parentum tuorum Nobilissimi uiri Taconis à Kammingha, & nobilissimæ matronæ Rintz de longema, quos ambos honoris & amoris causa nomino, qui & patruels tuos suis parentibus orbatos, non minus quàm filios suos, in Orthodoxa fide & sincera religione & erudiunt ipsi, & erudiri curant. Pro qua luce & beneficio Dei, quo nullum maius homini in hac uita contingere potest, decet ut per omnem uitam uos Deo gratos præbeatis. Cumq; ad eam ætatem Dei gratia peruenieritis, ut alijs præstis quos imperio uestro regetis, nihil uobis prius uel antiquius esse debet, quàm ut puræ religionis propagationi gnauiter incumbatis: Atque huc omne studium omnesq; uires conferatis, ut, cuius beneficio præestis, & cuius uicarij estis, eum etiam illi, quibus præestis, rectè agnoscant & colant. Quodsi feceritis, benedictionem Dei sentietis sicut promissit, Sam: 2. inquit: Glorificantes me glorificabo, deserentes autem me, deseram.

Sed mea exhortatione uobis non admodum opus esse censeo, nam præterquam, quòd ipsi moderata & proba indole estis, etiam Nobiliss: uirum Taconem à Kammingha ueræ religionis ac pietatis amantissimum ducem & instigatorem habetis. Habuisses & tuum patrem, Sixte maior, ducem in restauranda uera religione, reformandisq; Ecclesijs, si ad hoc tempus Dei fauore superstes esse potuisset. Debent autem tibi monitoris uice esse uerba ipsius, quibus moribundus te crebro & multum

ad timorem Dei, ad uirtutis amorem, et studium iustitiæ est cohortatus.
Ut autem occasione uobis de hisce rebus diligentius cogitandi præberem, et uos in suscepta uoluntate confirmarem, ac simul etiam profumnis et maximis parentum uestrorum in me meosq; beneficijs, animo mecum gratum ac memorem declararem, theses illas meas, quas lectionibus et familiaribus sermonibus Reuerendi uiri Doctoris G: sohni non nihil adiutus, nuper exaravi, et ad disputandum in hac inçlyta Cattorum Academia proposui, uobis dedicare uolui: quas ut benignè à me acceptis oro. Aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, uos uestrosq; fratres, Theotardum, Franssum, et Gerophilum, à Kammingha suo Spiritu regat et gubernet, ut in diuini uerbi cognitione et uera pietate omnes adulescat. Ac parentes uestros et auiam uestram, quibus ob præclara ipsorum erga me merita plurimum sum deuinctus, sorores item uestras, totamq; Kammingiam familiam clementer conseruet et donis spiritalibus ac corporalibus locupletet. Scripsi Marpurgi pridie Pentecostes Anno uirginei partus 1580.

Vestrae Nobilitati

addictissimus

Geilius Accronius.

THESIS I.



Vltus Dei est, cum Deo vni & trino
ex operibus rectè cognito proprius
ipsiq; soli debitus honor exhibetur:
cuius finis est salus eorū qui eum cultū
exhibent: Hebræis עֲבֹדָה & יְרֵאָה
Græcis θρησκεία & λατρεία promiscuè,

Latinis timor Dei & Religio dicitur.

II.

Ergo causa efficiens & impulsiva cultus diuini est cog-
nitio Dei,

III.

Nam vbi cognitio Dei nulla est, ibi nec cultus eius ul-
llus esse potest. Rom: 10. u. 14. ad Gal: 4. u. 8.

IIII.

Cognitio illa ex operibus, quibus sese Deus pate-
fecit.

V.

Opera sunt duo: Creatio rerum & Instauratio, seu
Redemptio.

VI.

Ex Creatione potentia, sapientia, bonitas Dei cogno-
scitur Gen: 1. Psal: 19. u. 1. 89. u. 6. 104. u. 24. 136. u. 5. 145.
u. 9. Rom: 1. u. 20.

VII.

Ex instauratione, tum illa de quibus iam dictum est,
tum imprimis misericordia & iustitia Dei. Ro: 9. u. 22.
&c. Eph: 1. u. 5. & 2. u. 4. Exod: 9. u. 16.

VIII.

Ex his igitur operibus cognoscitur Deus: ac porro tum
ab Angelis, tum ab hominibus,

Ab

IX.

Ab angelis, ut ipsorum & rerum omnium creator,

X.

Ab hominibus, tum ut Creator ipsorum, tum ut instaurator,

XI.

Ut Creator ante lapsum.

XII.

Quæ cognitio naturæ luce hominibus constitit ex creati mundi contemplatione: Et verò constitisset semper, si in statu integritatis perseverassent.

XIII.

Ut instaurator & Redemptor post lapsum & datam de Christo Mediatore promissionem, Gen: 3. u. 15.

XIII.

Est enim post lapsum aliqua in animis hominum adhuc superest Dei Creatoris cognitio, tamen multiplici ignorantia & tenebris obscurata est, nec verum & qui ad salutem proficit, Dei cultum procreat. Rom: 1. u. 21.

XV.

Cognitio Dei instauratoris non ex naturæ luce sed ex verbo diuinitatis reuelato constat, Matth: 11. u. 27 & 16. u. 17. & Ioan: 1. u. 18. 1. Cor. 2. u. 14.

XVI.

Estque modo obscurior ut in veteri, modo illustrior ut in nouo Testamento, ad Coloss: 2. u. 17, ad Hebr. 10. u. 1.

XVII.

Talis igitur est cognitio Dei, unde verus Dei cultus proficitur.

XVIII.

Nam ut cognoscitur, ita colitur, tum ab angelis, tum ab hominibus.

Ab

XX.

Ab illis ut Creator : Ab his tum ut Creator ut ante lapsum, tum ut instaurator & redemptor, ut post lapsum.

XX.

De quo posteriore quoniam imprimis hodie inter nos & pontificios controuertitur, & in eo nunc omnis sermone sita religio est, paulo plenius dicendum.

XXI.

Huius igitur cultus, sicut & cognitionis Dei redemptoris, norma est uerbum Dei, id est, Lex & Euangelium

XXII.

Nam ita colendus est Deus sicut se patefecit, & sicut ex uerbo cognoscitur.

XXIII.

Solius enim Dei est, cultum diuinum seu colendi sui modum instituere : Nihilque cultus rationem habet, nisi quod a Deo ipso est institutum.

XXIII.

Itaque non ex hominum iudicio, opinione, aut intentione instituendus est, aestimandusue Dei cultus, sed ex uerbo Dei, Deut. 12. u. 8. Psal. 119. Matt. 15. u. 9. Col. 2. u. 23.

XXV.

Hic cultus Redemptoris Dei in hac uita consistit in fide & fidei operibus.

XXVI.

Fides est, qua quis satisfactionem & iustitiam Christi *Dei uerbum* & Mediatoris non tantum pro alijs, sed etiam sigillatim pro se praestitam esse & ad se pertinere, atque adeo Deum suum per Christum instauratorem & redemptorem esse, certo credit atque statuit. Matth. 9. u. 2. 22. Rom. 1. u. 17. & 4. u. 23. &c.

B

Fides

XXVII.

Fidei norma est verbum Euangelij, quò solo nititur fides. Rom: 10. u. 17.

XXVIII.

Fidei opera sunt, quotquot ex fide proficiscuntur actiones: quæ etiam charitatis nomine appellantur & charitatis opera vulgò dicuntur. Gal: 5. u. 6.

XXIX.

Quorum norma est verbum Legis, seu Decalogus sicut à prophetis Christo & Apostolis explicat. Matt: 5. Rom: 13. Gal: 3.

XXX.

Quæ item per se imperfecta sunt in nobis, nec Decalogi præceptis prorsus conformia, quandiu hic vivimus, Luc: 17. u. 10. ad Rom: 7. u. 14. & seq.

XXXI.

Imperfectio tamen illa seu defectus & naui non imputantur propter Christi satisfactionem & meritum fide apprehensum Rom: 8. u. 1.

XXXII.

Atq; hæc causa est, cur placeant Deo, & pro bonis operibus ac pro cultu Dei habeantur. 1. Pet: 2. u. 5. Rom: 12. u. 1. Hebr: 13. u. 15. 1. Ioan: 3. u. 22.

XXXIII.

Inter opera fidei ferè præcipuum est oratio.

XXXIII.

Cuius duæ partes, inuocatio Dei & gratiarum actio.

XXXV.

Quibus *προσκύνησις* sæpè totus ille Dei cultus significatur, Psal: 50. Joel: 2. Act: 2. & 9. ad Rom: 10. 2. Timoth: 2. Hebr: 13. u. 15. &c.

Inuocatio

XXXVI.

Inuocatio Dei est, qua Deum de ijs, quæ nobis datum se facturum uel promisit, humiliter compellamus.

XXXVII.

Quæ spiritualia vel corporalia.

XXXVIII.

Spiritualia ut remissio peccatorum, donatio SS. & uitæ æternæ, &c.

XXXIX.

Quæ simpliciter omnino & sine conditione petimus.

XL.

Corporalia, ut pax, fertilitas terræ, valetudo, victus necessarius, liberatio ex periculis, successus in uocatione, defensio famæ & facultatum nostrarum, &c.

XLI.

Quæ cum conditione petimus, ut nobis contingant, si uidelicet Deo ita uideatur, & ut nec modum nec tempus ei præscribamus. Iudith 8. Matth: 8. v. 2. & 26. u. 39.

XLII.

Inuocationis q. fulcrum est spes, quæ petita à Deo patienter expectat, Psal: 33. u. 18. & seq. & 37. u. 5. Iudith 8. u. 19. Abacuc 2. u. 3.

XLIII.

Nam spe alitur & fouetur, quæ ex fide nascitur, Dei inuocatio.

XLIIII.

Inuocatio porro est tum precatio tum deprecatio, & imprecatio.

XLV.

Precatio est cum petimus, ut bona nobis & alijs siue spiritualia siue corporalia Deus largiatur.

B ij

Depre-

XLVI.

Deprecatio, cum petimus vt mala à nobis & alijs sine
spiritualia sine corporalia sine praesentia sine imminen-
tia Deus auertat.

XLVII.

Imprecatio est cum zelo quodam gloriae Dei petimus
vt mala Deus impijs & desperatis nominis sui hostibus
immittat. Psal. 7. & 35. & 140. u. 10. Ierem. 11. v. 20. & 18.
u. 23. Apocal: 6. u. 10. 4. Esd: 15. u. 8. 2. Tim: 4. v. 14. &c.

XLVIII.

Haec de inuocatione Dei: Gratiarum actio est, cum
nos memores acceptorum beneficiorum, & gratos vi-
cissim Deo exhibemus.

XLIX.

Quae consistit tum in celebratione bonitatis Dei seu
beneficiorum diuinorum, tum in mutuo obsequio.

L.

Celebratio illa est, cum Deo, quae ab ipso habemus, ac-
cepta referimus.

LI.

Quae corde fit & ore, seu mente & lingua.

LII.

Mente, in assidua meditatione. Deut: 4. u. 9. & 6. u. 11.

LIII.

Ore seu lingua in praedicatione seu confessione tum
priuata tum publica. Exod. 15. u. 1. Marc. 5. u. 19. Luc. 18.
u. 43. Ad Eph: 5. u. 20. Ad Phil. 4. u. 6. 1. Thess: 5. u. 18.

LIIII.

Obsequium mutuum est, quando tum nos ipsos, tum
nostra omnia vicissim Deo consecramus.

LV.

Nos ipsos vid: tum animum tum corpus.

Nostra

LVI.

Nostra omnia vid: tum opes tum quicquid præterea
habemus & possumus. 2 Paral. 15. u. 11. Eccl. 35. u. 12. &c.

LVII.

Ergo cultus Dei Redemptoris est eiusmodi in fide &
charitate, id est, in fidei operibus.

LVIII.

Qui cultus in spiritu & veritate perficitur.

LIX.

Qui solus per se atq; absolute Deo placet, Ioan: 4. u. 23.

LX.

Quem etiam soli credentes & spirituales, id est, spiri-
tu Dei regenerati & intelligunt & præstare possunt.

LXI.

Cuius spiritualis atq; interni cultus externum admini-
culum & subsidium esse Deus voluit in externis ritibus
à se institutis.

LXII.

Cum enim imperfecti simus in hac vita, quippe qui ex
parte tantum regeneramur, placuit Deo ad imperfe-
ctionem nostram subleuandam externos ritus institue-
re, quibus tanquam adminiculis ad internum illum ac
spiritualem cultum excitaremur.

LXIII.

Quorum exercitium eatenus Deo placet, quatenus in-
teriori ac spirituali cultui ancillatur & seruit: & exter-
ni cultus nomine appellatur.

LXIII.

Sin autem ab eo sine q. separetur & per se atq; ex o-
pere operato aestimetur, nec cultus rationem habet, nec
Deo placet.

B iij

Qui

LXV.

Qui item ritus pro temporis circumstantia à Deo mutantur, & variant, eodem semper manente interno ac spiritali cultu.

LXVI.

Alijque veteris sunt, alij Novi testamenti.

LXVII.

Veteris, vt sacrificia, purificationes, circumcisio, agnus paschalis, &c.

LXVIII.

Qui ritus Christi aduentu abrogati sunt; vt ex epistola ad Heb: liquet.

LXIX.

Novi testamenti, Baptismus & Cœna Domini.

LXX.

Qui Christi reditu abrogabuntur, 1. Cor. 13. u. 8. & seq. & cap. 11. u. 26.

LXXI.

Hactenus de cultu Dei Redemptoris & eius administraculis ac veluti exercitijs, in externis ritibus: Cuius finis & fructus est eorum, qui hunc Deo exhibent, salus.

LXXII.

Eaque tum temporaria presentis, tum æterna futura vitæ, Psal: 50. u. 23. Ioan: 17. u. 3.

LXXIII.

Nunc de erroribus circa cultum Dei Redemptoris, id est, de superstitione & in primis Pontificia, exponem.

LXXIII.

Superstitio generatim intelligitur falsus Dei cultus.

LXXV.

Cuius duo genera: Idololatria & Hypocrisis.

Idolo

LXXXVI.

Idololatria est superstitio Deos alienos, id est, rem,
quæ non est Deus, tamen ut Deum colens.

LXXXVII.

Quomodo Israelitæ in veteri testamento idololatræ
fuerunt qui imitatione Ægyptiorum vitulum aureum,
cui imaginem inuisibilis Dei, qui serpentem æneum,
qui Reginam cælorum, id est, vel Solem vel Lunam,
aliâque idola coluerunt. Exod: 32. 4. Reg. 18. Ierem: 7.
& 44. &c.

LXXXVIII.

Et in Nouo testamento, qui Angelum, item Petrum
& Paulum ac Barnabam adorare voluerunt. Apoc: 19.
u. 10. & 22. u. 8. Act: 10. u. 25. & 14. u. 13.

LXXXIX.

Quomodo hodiè in Papatu idololatræ sunt, qui tum
Christi seruatoris imaginem tum corporis, & quæ corporis
eius contactu, veluti sanctificata sunt, reliquias adorant.

LXXX.

Imaginem Christi tum integram, videlicet: totum eius cor-
pus representantem, tum Veronicam, ut vocant, id
est, faciem linteolo impressam.

LXXXI.

Reliquias corporis, ut præputium eius, sanguinem,
crines, &c.

LXXXII.

Contactu corporis eius veluti sanctificata, ut lanceam,
spinas, lignum crucis, clauos, præsepe, fascias, indusium,
tunas, sex hydras, vinum quod in hydrijs fuit, calceos,
mensam, in qua administrauit cœnam, panem, cultel-
lum, calicem, patinam, vestimenta, &c.

Item

LXXXIII.

Item qui homines colunt & adorant, tum viuos tum mortuos.

LXXXIII.

Viuos vt Papam, quem tanquam vniuersalem Episcopum & qui non possit in fidei dogmatibus errare, cui fas sit de religione statuere, nouos articulos fidei concedere, peccatum quibuscunq; velit remittere, &c: atq; adeo ceu Deum terrenum colunt, de quo Apostolus prædixit, 2. ad Theff. 2.

LXXXV.

Mortuos, vt sanctos defunctos penè innumeros, vt qd eis, quod Deo soli debetur, templa & aras erigunt.

LXXXVI.

Qd eos inuocant, tum de spiritualib9, tū de corporalib9.

LXXXVII.

De spiritualibus, vt eorum meritis à diaboli versutia & damnatione liberentur, &c.

LXXXVIII.

De corporalibus, videlicet distributis inter eos operis & officijs.

LXXXIX.

Vt de periculis, Nicolaum ceu Neptunum in naufragijs: Laurentium & Florianum, vt Ethnici vestam, in incendijs: Ioannem & Paulum in tempestatibus et calamitatibus: Leonardum in vinculis et carcere, &c.

XC.

De morbis, Valentinum ceu Herculem, in morbo cæduco: Rochum & Sebastianum in peste: Otilium in oculor9, Apolloniã in dentium dolorib9: Margaretam ceu Iunonẽ Lucinam in partu: Petronellã in febrib9.

De

XCI.

De bonis, Annam generatim vt Ethnici Iunonem: S. Lupum, vt Ethnici Cererem, de frugibus: Vrbanum & Medardum, vt illi Bachum, de vitibus: Gallum de anseribus: Antonium de porcis: Vuendelinum de ouibus: Eulogium de equis: Pelagium de bobus, &c.

XCII.

De studijs, Gregorium & Catharinam, vt Ethnici Apollinem & Miueruam.

XCIII.

Ac speciatim de Theologia Augustinum, de Iurisprudentia Iunonem, de Medicina Cosmam & Damianum, vt Ethnici Æsculapium.

XCIII.

De mechanicis artibus, vt Crispinum de sutoria, Gutmannum de sartoria, de textoria Seuerinum, de sabrili lignaria Iosephum, de venatoria Eustachium, equestri Georgium, &c.

XCIV.

Deniq; singulae nationes, regiones, provinciae, ciuitates, pagi, homines deniq; singulos veluti patronos & tutelares Deos habent, quos inuocent, & quorum securae & custodiae commendent.

XCV.

Quod inuocatis sacrificant & offerunt, vt se gratos erga tam propitios Deos declarent.

XCVI.

Quod eorum imagines perinde vt sanctos ipsos adorant, ante eas caput nudantes, procumbentes aut se incuruantes.

C

Deniq;

XCVIII.

Denique quod eorum reliquias adorant, peregrinationes ad eas instituunt, vota faciunt, cereos eis accendunt, de collo eas suspendunt ex deuotione & fiducia, quasi vim Dei singularem inclusam habeant ad consequendum bonum & propulsandum malum.

XCIX.

Reliquias porro tum corporum sanctorum, tum quæ corporum contactu, cum adhuc superstites in hoc mundo essent, quasi sanctificata fuere, siue vestimentorum siue aliorum.

C.

Quarum reliquiarum pleræque falsæ sunt & suppositiæ, quæstus causa excogitata, quæ si in vnum compertarentur omnes, sanctorum corpora non solum magnitudine vasta, sed membrorum etiam numero monstruosa, & vnus sæpè plura corpora forent.

CI.

Item qui tum signa sacra, tum certorum verborum sonos pro Deo habent & colunt, aut vim quandam diuinam eis tribuunt & Deo exæquant.

CII.

Ut quod panem consecratum, id est, in corpus filij Dei conuersum & transsubstantiatum, ut loquuntur, includunt, asseruant, circumgestant, adorant ceu ipsammet Dei filium.

CIII.

Quod item aquæ, salis, oleo consecrato, quæ baptismo propria autoritate addiderunt, vim diuinam fugandi Sathanam attribuunt.

Quod

CIIII.

Quod campanas, arma, gladios, bombardas, naues baptizant, baptizandoq; eis se diuinam quandam vim conferre putat aduersus tempestates, pericula & mala.

CV.

Quod conceptis verbis quasi eis diuina vis & efficacia insit, consecrant templa, campanas, coemiteria, candelas, panem, aquam, salem, oleum, ramos arborum, vestes, morbos pellunt, Sathanam fugant, &c.

CVI.

Quomodo deniq; Idololatras sunt qui vim aliquam diuinam tribuunt rebus sine ordinatione diuina & sine causis naturalibus, vt superstitioni quidam Astrologi Augures, auruspices, &c.

CVII.

Item qui certis characteribus aut verbis quibusdam Euangelij, aeri collo appensis morbos curare conantur.

CVIII.

Item magi qui cum Diabolo foedus faciunt & in eius se potestatem tradunt.

CIX.

Ergo idololatria est cum hoc modo dijs alienis, id est, his rebus, quae non sunt Deus, id quod solius est Dei proprium, tribuitur.

CX.

Hypocrisis est superstitio verum quidem Deum sed externis duntaxat rebus ex opere operato praestitis colens.

CXI.

Rebus externis porro, siue ritibus sacris, siue operibus moralibus Lege Dei praecipitis.

C ij Quo

CXII.

Quomodo olim sapè Israelitæ & Iudæi Hypocritæ fuerunt, qui cultum Dei posuerunt in externis sacrificijs & alijs ceremonijs.

CXIII.

Et Pharisæi qui in humanis traditionibus.

CXIII.

Et hodiè Pontificij & aliij qui in sacramentis, itemq; ritibus electitijs, vt Missæ sacrificijs, horis canonicis, cantibus Ecclesiasticis, Psalmorum lectionibus, coelibatu, vigilijs, ieiunijs & delectu ciborum, vestitu seu habitu sacro, cereis ardentibus & similibus, per se & ex opere operato præstitis verum Dei cultum positum esse arbitrantur, atq; hoc modo Deum colunt ad vitam æternam consequendam.

CXV.

Item qui in operibus moralibus, vt in elemosynis, orationibus seu recitatione precum, &c. per se & absolute præstitis verum Dei cultum ponunt: vt olim Pharisei, & hodiè Pontificij.

ῥῶ δὲ δόξα.


Disputabuntur (Deo uolente) in Auditorio Theologico, tertio Idus Iunij hora 6^a matutina.


ocritu
acrifi

nq ri
is, can
libatu
habitu
x ope
m esse
am z

s, ora
bfolu
Pha

Audito
bora s,







27024

Th
956